



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. In quo conveniamus & in quo differamus in præsentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

latur vita æterna. Dividunt aliqui gratiam habitualem in gratiam receptam in anima, & in gratiam, quæ est charitas, receptam in voluntate. Sed hujus Divisionis nullum fundamentum.

8. DIVIDITUR Gratia Actualis, in Gratiam Actuum ipsorum supernaturalium & ipsorum auxiliorum. Supponit hæc divisio, quod ipsæ actiones sint gratiæ Dei, quod innuit Aug. Ench. 7. ubi dicitur Deus remunerare dona sua, quæ phrasim supponit actus nostros esse donum & gratiam Dei.

9. DIVIDITUR Gratia Actuum ipsorum supernaturalium in Actum, qui sunt perfectè liberi & in Actus necessarios: in Antecedentes habituales iustitiam tempore aut naturâ, & in subsequentes, qui sunt fructus iustitiæ.

10. DIVIDITUR Gratia Actualis secundum varias appellationes ejusdem gratiæ. Appellatur alia præveniens gratia: quia tempore vel naturâ præcedit vel meritum, vel actum, vel influxum liberi arbitrii, vocaturque alio nomine præmotio. Brevius vocatur auxilium In, vel auxilium Ad, utraque autem particula involvit præ-

cedentiam. Alia gratia est *concomitans* vel *comitans*, quia simul cum libero arbitrio influit in actum. Vocari etiam solet auxilium simultaneum vel auxilium Cum. Alia gratia actualis est *subsequens*: quia vel supponit aliam gratiam, vel aliquem actum liberum ex gratia factum. Alia *excitans*, quæ non attendentis mentem illuminat. Alia *adjuvans*, quæ actu operantem juvat, alia *operans*, quando ita Deus agit, ut ad illum actum liberè non concurrat creatura, licet eum eliciat. *Cooperans* dicitur quando cum ipso libero arbitrio cooperatur. Quibus adde Gratiam *sufficientem*, quæ cum possit operari & non operari, non est operatura, & *Efficacem*, quæ cum possit operari & non operari, infallibiliter operabitur. Gratia autem præoperans, quam ponit Prosper, coincidit cum gratia præveniente.

Quod in definitione gratiæ præsentis debeat supponi illam esse per Christum, certum est. quia omnes gratias nobis meritis est Salvator. Sed non provenit id ex essentia gratiæ. Cum eandem omnino numero, & specie gratiam, poterit largiri ex mera liberalitate Deus.

DISPUTATIO V.

De Nobilissima specie Gratiae Actualis, quæ est

GRATIA EFFICAX.

Ic & nunc nihil disputabimus de ipsa gratia efficaci, obtemperando decretis sanctæ Sedis, sed solum præmittimus quædam huc concernentia. Ad imitationem Ripaldæ de Ente supern. D. 113.

QUÆSTIO I.

In quo conveniamus & in quo differamus in presenti.

PRÆMITTO I. In quo sit difficultas, quam Theologi de efficacia gratiæ hæc tempestate enodare volunt. In hoc est, ut ponant auxilium quo posito infallibiliter sequatur effectus, & tamen liberè, quæ propositio hanc habet difficultatem. quod infallibile est, non potest non esse: hoc enim ipso, si potest non esse, fallibile est, in eo, ut sit: ipso posse non esse, trahente illud, quod infallibiliter dicitur esse, ad capacitatem non esse, adeoque illud infallibile esse, fallibilisatur per posse non esse. Universaliter autem, quod infallibile est, supponitur non posse se aliter habere. Sicut non esset infallibilis hæc via perveniendi ad hunc terminum, si possit non perveniri ad illum terminum hæc viâ, sed ad alium. Quod si illud auxilium est tale, ut illo posito in-

fallibiliter sequatur effectus, quomodo hoc fiet liberè, quia liberum est, quod potest esse & non esse, & tamen hoc prædicatum suo modo contradictoriè, opponitur ei quod potest non esse. Ubi ut vides, est lucta duorum prædicatorum contradictoriorum, quæ reperiuntur in gratia, & tamen omnino salvari debent, & sicut difficile est Mysterium Trinitatis, quia in illo salvari debet Communicari, & non Communicari; difficilis est materia de actu Dei libero, quia in illa salvatur prædicatum: Non potest non esse actus divinus liber: est enim Deus; potest non esse & esse actus divinus liber: est enim liber; Ita & in præsentis difficultas salvandi, quomodo aliquid non potest non esse, quod vult infallibilitas gratiæ efficaciæ, & quomodo potest esse & non esse, quod vult libertas quam non lædit gratia efficax, huic difficultati succubuerunt Pelagiani, & ne negarent libertatem, negarunt non tantum infallibilitatem, sed & necessitatem gratiæ. Succubuerunt Calvinistæ, adhæseruntque huic contradictorio, infallibilitas, negarunt autem aliud quasi contradictoriū, quod est libertas. Succubuerunt Jansenistæ, & ne negarent infallibilitatem, restrinxerunt Libertatem, quod sufficiat libertas à coactione.

(J) 4

PRÆ-

PRÆMITTO 2. *Supposito in quo sit difficultas presentis materiae inter nos & Thomistas. Ostendendum est quis sit questionis status.*

In hac Materia convenimus tanquam in articulo fidei, quod gratia efficax infallibiliter liberè tamen operetur, quâ expositione nos contra Thomistas urgemus, quod positâ Prædeterminatione, non liberè operemur. Illi autem excipiunt contra nos, quod infallibilitatem gratiæ non tribuamus. Convenimus item tanquam in articulo fidei, quod gratia interior eaque supernaturalis sit necessaria ad rectè operandum supernaturaliter, ex quo inferimus, hanc gratiam non esse prædeterminationem: quia hæc non habetur, quando habetur sola gratia sufficiens, & tamen habetur tunc gratia supernaturalis, necessaria ad operandum supernaturaliter, illi autem inferunt contra nos, illam non debere esse dependentem à nostro consensu, cum prærequiratur ante nostrum consensum. Admittit utraque pars scientiam conditionatorum liberorum, quamvis eam Antiquiores Thomistæ negarint. Ex quo inferimus, hæc scientiâ debere Deum dirigi, ut salvâ libertate conferat præcious auxilia efficacia. Inferunt Thomistæ, debere poni Decretum aliquod conditionatum ex parte objecti, & absolutum ex parte actûs, ne ita quidquam fiat etiam conditionatum, quod non dependeat à voluntate & Decreto divino. *His præiudicis*

STATUM Questionis sic conceperunt nostri in Disputationibus Romæ habitis: An scilicet efficacia auxilii consistat in qualitate seu motione, quâ physicè prædeterminat hominis voluntatem, v. g. ad consensum, aut quâ talis sit naturæ, ut cum ejus entitate dissensus conjungi non possit. Negamus nos talem efficaciam, ponunt Thomistæ. Eundem statum Questionis complexus est Bellarm. proponens utrique parti solvendum, hoc est, tam Dominicanis, quàm Societatis Doctoribus: An gratia præveniens à sufficienti distincta, à se sola sit efficax, ejusque efficacia, posita sit in physica voluntatis prædeterminatione, cui humana voluntas in sensu composito dissentiri non possit. Ripalda, idem sic concipit. An Auxilium efficax ita sit intrinsecè efficax, ut sola suâ entitate, seorsim ab ipso consensu voluntatis, inferat effectum, impossibile; sit conjungi cum illo, voluntatis dissensu.

INFERES hinc. Non fuisse eundem statum Questionis inter Pelagianos & August. Docerant Manichæi, arbitrium liberum esse malum, quia peccat, opposuerunt se illis Pelagiani, arbitrium liberum esse bonum, quia si velit, potest non peccare: tamen ad evitanda loca scripturæ, indicantia necessitatem gratiæ, responderunt illi, esse necessariam gratiam creationis, & prædicationis externæ. Opposuit sese Pelagianis August. dixitque etiam gratiam internam esse necessariam, verba illius sunt Epist. 95. *illam*

constituantur apertissimè gratiam, quam Doctrina Christiana demonstrat & prædicat propriam esse Christianorum, quæ non est natura, sed quâ salvatur natura. Et Lib. de gratia Christi cap. 13. *Sigratia Doctrinæ dicenda est, certè illa intelligatur, ut alius & inferius credatur, Spiritum S. illam infundere, non solum per eos, (cui naturalem illuminationem) qui plantant & rigant extrinsecus; sed etiam per se ipsum, qui incrementum dat Deus.* Correxerit se Pelagius, requisivitque gratiam ad facilius posse, refutavit hoc August. lib. de gratia Christi cap. 4. 28. 29. *Tolle, inquit, facilius, & non solum plenus, sed etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrii, possint implere per gratiam, cum autem facilius additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia, posse fieri, tacitâ significatione supponitur.* Breviter ergo disputavit de existentia & necessitate gratiæ cum Pelagianis August. Nos cum Thomistis de modo efficaciam, disputavitque de gratia, quam habuit Adamus sine Christo, hoc est de gratia creationis, an illa sufficiat, prout volebant Pelagiani, sed non de gratia sufficienti, prout distincta ab efficaci modoque illius infallibilitatē. Licet permultas etiam de hoc Doctrinas ex occasione inperferit.

INFERES. Eundem statum Questionis in præsentī Materia non rectè ab aliis formati, prout collegit Ripalda. Non rectè eum formavit Alvarez Lib. 4. Resp. c. 7. n. 8. cui consentit Zumel: An arbitrium seipsū determinet, Deo ad hoc non concurrente per suum auxilium efficienter, sed solum moraliter, dicimus enim concurrere efficienter, licet non prædeterminativè.

Non rectè formavit Rispoli q. 1. de Aux. Concl. 1. Quod questio de gratia intrinsecè efficaci, idem est cum Questione de Prædeterminatione efficaci Dei: Nam Suar. tenet Prædeterminationes, negat Prædeterminationem. Nec est de hoc Questio, an prius naturâ operetur arbitrium liberū, quàm gratia, negamus enim hanc prioritatem. Nec in hoc, an præter illustrationes & volitiones dicat aliquid distinctum, auxilium efficax, hoc enim aliqui nostrum sentiant.

PRÆMITTO 3. *Ex principis nostris, quid nobis immeritò imponant Thomistæ?* Caput & fons primus, est hoc Principium. *Ponimus nos consensum conditionatum etiam esse supernaturalem, & ortum ex gratia supernaturali conditionatè dandæ, qui tamen non sit ullum meritum.* Ad quod nolentes advertere Thomistæ inferunt contra nos, quod Semi-Pelagianisemus, cum tamen consensum illum ex viribus naturæ posuerint Semi-Pelagiani, nos ex gratia, posuerint meritum, nos non. Inferunt rursus, quod in negotio salutis, gratia primatum non habeat, cum non habeat primatum in efficacia, cum tamen nos dicamus ipsum consensum à gratia esse. Inferunt item, quod à parte nostra, ratione illius consens-

sus conditionati; detur gratia prædestinationis, & tamen nos conditionatum illum consensum, non dicimus esse motivum Prædestinationis, sed nonnisi circumstantiam, ad quam attendendo Deus, salvâ libertate, nos prædestinare potest. Inferunt rursus per nos poni gratiam potest. Inferunt rursus per nos prædestinari gratiam, etiam consensum conditionatum. Inferunt, enervari gratiam per nos, & tamen nos, nec à consensu conditionato, nec ab absoluto, dicimus vires agendi sumere gratiam: sed illas præcedere tanquam suum effectum, pro statum & conditionato, & absoluto. Inferunt item, quod per nos auxilium efficax non sit causa efficiens, quod se liberum arbitrium determinet, sed nonnisi moralis; & tamen nos, in consensum tam absolutum, quam conditionatum, tribuimus influxum physicum principio supernaturalem; hoc est, in consensum absolutum, tribuimus influxum absolutum; in consensum conditionatum, influxum conditionatum.

2. PRINCIPIMUM Nostrum est. *Dantur conditiones prævenientes gratia, quæ sint in nobis sine nobis, & quarum habendarum determinatio pendet à Deo.* Et tamen Thomistæ, trahendo loca S. August. & S. Th. posita de ista determinatione, adiuam prædeterminationem, inferunt contra nos, quod deiciamus Deum à ratione causæ Primæ. Inferunt, quod non detur per nos ulla excitans gratia. Item quod voluntas moveat se non mota, adeoque sit independens tanquam Deus. Inferunt etiam quod non agnoscamus auxilium gratiæ concomitantis, quam tamen agnoscimus, & ejus oblationem ad Deum solum referimus. Intulit autem id contra nos. Zumel. lib. 1. d. 4. sub init. Cabrera & Navarette. contr. 21. paragr. 9. ait, nostram esse positionem quod liberum arbitrium prius naturâ, quam gratia operetur, ponat consensum. Idem attribuit nobis Ledesma apud Suar. Lib. 5. cap. 27. num. 5.

3. PRINCIPIMUM est. *Non admittimus Decretum divinum prædeterminans ad unam partem, admittimus tamen decretum de concursu indifferenter exhibendo, de eligendis auxiliis, ex quorum selectione stat nostra salus actu ponenda, pendetque hæc selectio merè à solo Deo, tanquam purus favor ejusdem.* Non attendunt ad hoc Thomistæ. Sed inferunt, quod aliquid per nos, sine Dei voluntate fiat. Inferunt, quod nos ipsos discernamus. Inferunt, quod Deus bonorum nostrorum operum nonnisi sit spectator. Inferunt, quod per nos ad plura se in creatis extendat Dei scientia, quam Dei voluntas. Reliqua quæ non sunt ita principalia, non moror.

4. PRINCIPIMUM est. *Admittimus non pauci Prædefinitiones actuum nostrorum bonorum.* Inferunt Thomistæ, hoc ipso nos tenere prædeterminationem Thomisticam, eò quod illa prædefinitio sit suppositio antecedens, cā posita im-

possibile est non sequi eventum, & tamen eam ponere vel non ponere, non est in nostra potestate. Hinc totum hoc, quo impetimus prædeterminationem, impetit per illos prædefinitiones. Consequenter in re, nihil est quod impetat prædeterminationem, si non impetit prædefinitiones, adeoque in re tenere nos prædeterminationes. Hoc quidem jam est explicatum 1. par. disp. 5. a. num. 405. Insuper hæc ita particulatim proponitur.

CONVENIUNT in hoc Prædeterminatio & Prædefinitio, primò, quia utraque est suppositio antecedens consensum absolutum.

CONVENIUNT 2. in hoc, quia utraque non habet pro objecto collationem solum prærequisitorum ad operandum, nam qui habet gratiam sufficientem, habet prærequisita ad operandum, & tamen caret prædefinitione.

CONVENIUNT 3. In hoc, quia tam prædefinitio, quam prædeterminativum Decretum, tenet se à parte voluntatis Divinæ, & infallibiliter sicut posita prædeterminatione, ita & posita prædefinitio sequetur eventus gratiosus.

DIFFERUNT 1. modo efficaciæ & infallibilitatis, quia infallibilitas prædefinitionis desumitur ex suppositione consequenti, quia ex suppositione consensus conditionati; infallibilitas autem prædeterminationis, desumitur ex ipsa met natura ipsius, adeoque ex suppositione antecedenti. Rursus prædeterminatio ita est necessaria, ut sine illa, non possit per Thomistas sequi eventus gratiosus, per nos autem potest sequi consensus, sine prædefinitione. Item, nonnisi in sensu diviso à prædeterminatione potest non sequi eventus, in Principiis Thomistarum, per nos autem etiam in sensu composito cum prædefinitione potest non sequi, hæc sit infallibiliter secuturus.

DIFFERUNT 2. serie, nam prædefinitio sequitur post prævisum consensum conditionatum, nataque est nonnisi illum sequi, jam autem prædeterminatio saltem conditionatè danda, antecedit consensum etiam conditionatum, nataque est antecedere.

DIFFERUNT 3. Motivo & objecto, nam prædeterminatio vult ut velimus. Prædefinitio vult, quia volituri sumus si. Hinc prædefinitio in sua energia, efficaciaque innititur consensui conditionato, non autem prædeterminatio. Unde etiam Prædeterminatio sic est exprimibilis, Volo ut velis; prædefinitio autem, cum habet sensum, Volo ut velis, quia prævideo te voliturum, si

Casu autem, quo formaretur Prædeterminatio post præconsultam nostram libertatem, necdum salvaretur libertas, ex eo, quia per accidens esset, quod illa formaretur post consultam nostram libertatem, siquidem sive ante consultam libertatem, sive post, ponatur, æquè manet efficax; cum in sua infallibilitate, non pendeat

pendeat ab illo consensu, sed de se sit infallibilis, & sicut si daretur prædeterminatio coactiva, non salvaret illa libertatem, quamvis poneretur post præconsultam nostram libertatem, ita nec salvabit prædeterminatio. Quod si ponas prædeterminationem pendente in sua efficacia à nostro consensu, revera jam nostra teneretur sententia.

5. PRINCIPIMUM. *Frequenter nos in opere salutis, recurrimus ad consensum conditionatum prævisum.* Inferunt Thomistæ, quod nos ipsos discernamus, quod initium salutis sit ex nobis, quod ab aliis causis pendeat consensus conditionatus, ab aliis absolutus. Quæ omnia in nostris principiis locum non habent.

DISCRETIO enim quæ est in genere Causæ efficientis, non tribuitur à nobis, nisi Deo, in cuius potestate est dare gratiam, licet discretionem, quæ sit in genere Causæ Formalis, tribuamus etiam consensui gratioso absoluto, qui & ipse, est donum Dei, discernitque nos formaliter, cum in opere salutis, ex mente Tridentini, merè nos passivè non habeamus. Et hoc videtur voluisse Augustinus, de Prædestinatione sanctorum c. 5. *Ipsa fides discernit ab infidelis fidelem.*

INITIUM justificationis non erit etiam ex nobis, per nostram doctrinam, quia initium est, quo non datur prius, hoc autem, quo in opere salutis non datur prius, non est consensus noster, sive absolutus, sive conditionatus, sed potius, ipsa gratia, ex qua ille consensus.

Quamquam condistingui potest initium justificationis duplex, unum in genere causæ efficientis, adeoque autonomasticon, dictum, & hoc habetur à gratia. Et aliud initium justificationis formale, & id habetur à consensu gratioso. Et hoc videtur voluisse Augustinus, libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 21. *Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus.* (En initium in genere causæ efficientis) *ut acquiescamus salutis sue inspirationi, nostræ potestatis est.* (En formale initium.)

PER NOS, NON PENDET CONSENSUS ABSOLUTUS AB ALIIS PRINCIPIIS, ET AB ALIIS CONDITIONATUS. Quia illud pendere, est pendere à viribus, causa, operativo, quod pendere utrique consensui, æqualiter convenit, licet uterque consensus, non pendeat ab iisdem Principiis, in ratione denominationum, oriundarum ex statu, præsuppositione, &c. Sicut enim status conditionatus, & absolutus sunt diversi, ita suis Principiis, denominationes diversas tribuere possunt. Hinc quantumvis consensus conditionatus & absolutus, pendeant ab iisdem Principiis in ratione virium, possunt pendere à diversis Principiis, in quantum illa Principia, habent alias diversas denominationes, adeoque ab aliis, non entitativè, sed denominativè. Consequenter per nos, cum ratio efficacia, sit denominatio

cadens supra entitatem auxilii, in quantum illud habet rationem, virium, causæ, operativi, ideo poterit dari gratia efficax antecedenter ad consensum absolutum, non tamen antecedenter ad consensum conditionatum, eò quod salva libertate possit habere gratia efficaciam antecedenter ad consensum absolutum, non tamen antecedenter ad consensum conditionatum, eò quod antecedenter ad illum non habeatur, unde desumatur illa infallibilitas. Unde enim cum per nostros, nec detur, nec dari possit efficacia prædeterminativa.

QUÆRES? *à qualinam gratia proficiscatur consensus conditionatus.* Ratio dubitandi est. Quia si proficiscatur, ab efficaci gratia, antecedenter, ruent multa nostra Principia, si proficiscatur à gratia inefficaci. Ergo proficiscetur à gratia implicante, non erit enim efficax ut supponitur, & erit efficax, quia ponet effectum conditionatum, cum jure sibi innexo illum ponendi. Et si consensus conditionatus proficiscitur à gratia inefficaci, proficiscetur etiam absolutus, quod erit confundere definitiones gratiæ sufficientis & efficacia.

DICI nihilominus potest. Consensum conditionatum non proficisci à gratia antecedenter infallibili, quia hæc infallibilitas non est unde desumatur; nec procedit à gratia antecedenter fallibili, quia etiam non habetur unde desumatur, hæc ejus antecedens fallibilitas, sed procedet à gratia, concomitanter infallibili, eò quod tum primum intelligatur acquirere infallibilitatem, vel si mavis dicere, dic consensus illum conditionatum, proficisci à gratia non antecedenter infallibili. Ex ista autem non antecedenti infallibilitate, non licet inferre antecedentem fallibilitatem, neque enim hæc duo membra sunt contradictoria.

PRÆMITTO 4. *In quonam differant inter se, & in quo convenient Doctores utriusque sententia?* Thomistæ non conveniunt cum antiquis, quod non detur scientia Conditionalium, de quo in primâ Parte, non conveniunt, An detur prædeterminatio, de quo alibi. Non conveniunt, an detur etiam ad actus malos, de quo alias; non conveniunt, An illa prædeterminatio sit qualitas an decretum Dei, &c. quod est non convenire in substantia Doctrinæ. *Quod ad nos attinet.*

Conveniunt omnes in rejicienda prædeterminatione. Conveniunt omnes in admittenda scientia conditionalium independente à Decreto etiam eo, quod dicitur absolutum ex parte actus, conditionatum ex parte objecti. Sed differunt, inter quæ membra sit media, & ad quod membrum revocanda. Differunt, an in causis etiam possit nosci futurum conditionatum liberum, de quibus actum in primâ parte, an in sola sua præsentia ad æternitatem.

Convenimus omnes, quod efficacia gratiæ non

non possit desumi à principio, quod cum ponere, vel non ponere non sit in nostra potestate, & tamen illo posito non possit non fieri consensus. Differimus in hoc; An efficacia gratiæ desumatur à scientia conditionata? an ab ipso effectu conditionato?

Convenimus in hoc, quod efficax gratia sit talis, ut sine ea cum sola sufficienti possit sequi consensus gratiofus, & quod sufficiens non tantum detur ad posse agere, sed & ad posse agere actu. Differimus in hoc, an illæ comparatæ inter se sint inæquales non tantum in ratione domini hanc enim inæqualitatem omnes admittunt, sed an inæquales in ratione auxilii. Æqualitatem tuetur Suar. inæqualitatem Vasq. l. p. d. 89. & alibi, Valentia hic d. 8. q. 3. p. 4. & in Polonia aliquot Professores.

Convenimus in hoc, quod non sit necessarium ullum Decretum prædeterminativum; differimus, An sint admittendæ prædefinitiones actuum bonorum, quas negat Vasquez, ponit Suar.

Convenimus in hoc, dari inspirationes, illuminationes, affectiones supernaturales, spectantes ad prævenientem gratiam; differimus, an illæ physicè concurrant ad operationes salutares? ut voluit cum aliis Esparza, quod tamen cum aliis negat Suar. dantque alium concursum supernaturalem, ut videre est apud Suar. de auxiliis c. 2. & 3.

Alii admittunt cum Sal. qualitatem quandam mortuam, alii negant, quæ omnes differentia non sunt in substantia, sed in adjunctis.

Addo hic, quotiescunque nostri negant efficaciam intrinsicam, toties restringunt, vel subintelligunt efficaciam, quam cum ponere non sit in nostra potestate, illa tamen posita, non possit non sequi effectus. Ut videre fuit in statu Questionis formato supra, & videre est in Lef. & Fulgensi in sua Concord. d. 2. Sect. 1. & apud Suar. Proleg. l. c. 6. num. 10.

PRÆMITTO 5. *Distinctionem variarum vocum.* Alia est gratia effectiva, alia efficiens, alia efficax. Effectiva est quæ habet vim ponendi actum. Efficiens quæ illum ponit. Efficax, quæ ponit etiam actum, sed cum titulo infallibiliter operaturæ. Sufficiens gratia, est per nos effectiva, sed non efficiens. Imò nulla datur efficiens, prout condistincta ab efficaci: quia nulla datur à Deo, quæ operatur, quin prævideat Deus operaturam, illaque sit operatura.

Aliud est in gratia efficaci, ratio virium & entis, & aliud, Ratio doni. Ratio virium in gratia efficaci per multos æqualis est, ac in gratia sufficienti, & quamvis consentiens & non consentiens sint inæquales in actu 2do, non est necesse ponere in illis inæqualitatem etiam in actu primo, quia libertas cum iisdem viribus potest ponere consensum, vel non ponere. Ratio autem doni importat selectionem & oblationem

auxilii connotantis operationem conditionatam.

Distincti sunt item hi duo termini, operativitas & operativitas. Operativitas dicit rationem virium, adjutorii, ipsiusque posse & potentia operandi. Operativitas autem dicit etiam illas vires: quomodo enim est quid operaturum, si non habet vim operandi? Sed insuper dicit positionem actus, & negationem non secuturitionis operationis illius, ad quam datur gratia operatura. *Sit*

QUÆSTIO II.

F A C T I.

An Sententia Societatis sit damnata in Disputationibus Romanis.

NON esse damnatam ex tribus colligitur. Primum. Quia ea notitia, quam habuerunt Salmanticenses. Et ex illis Joannes à S. Thoma de damnatione nostræ sententiæ, non potest jam pondus habere: innititur enim testimonio Francisci Pennæ, Rotæ Decani. Cujus testimonium esse apocryphum decrevit Innocentius in decreto facto in Congregatione Generalis Inquisitionis edito 23. Apr. 1654. & 27. ejusdem Mensis publicato. Ubi prohibentur Libri in gratiam Jansenii scripti. Ultimus paragr. sic habet. *Ceterum cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quedam asserta acta manu scripta & forsitan typis excusa Congregationum habitantium coram felicis recordat. Clemente VIII. ac Paulo V. Super Quæst. de Auxiliis divina gratia, tam sub nomine, Francisci Pennæ olim Rotæ Rom. Decani, quam Fr. Thoma de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Ordinum & Theol. qui ut asseritur prædictis interfuerunt Congregationibus, nec non quoddam autographum, sive exemplar cujusdam assertæ Constitutionis, ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ Quæstionis de Auxiliis, ac damnationis sententiæ, seu sententiarum Ludov. à Molina Societatis IESV, eadem sanctitas sua presenti hoc Decreto declarat, ac decernit prædictis assertis Actis, tam pro sententiæ FF. Ordin. S. Dominici, quam Ludov. à Molina, aliorumque Societatis IESV Religiosorum, & autographo, sive exemplari prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu à quocunque allegari posse vel debere. Sed super Quæstione prædicta observanda esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII. suorum Prædecessorum.* Et hoc est Primum Fundamentum in Quæstione Facti pro nobis.

2. FUNDAMENTUM. Quia ponit illorum Relatio Censores 30. cum nonnisi 14. fuerint neque valet si addas Cardin. quia hi 8. tantum fuerunt, & nunquam Censuram ferebant.

3. FUNDAMENTUM. Relatio totius Historiæ, quam compendiosè desumo ex Ripalda, eò quod